

piam eorum: methodo aliqua opus est, qua latentes in corpore affectus cognoscantur. Ideò σημειωτική tradenda est: quæ loco commodiore, quàm post tractationem de sanitate & morbo inferi non potest; cum ex iis, quæ ibi tradita sunt, signa ple-
 υγεινή

Atq; his ita explicatis, ad principia operationis deveniendum, & media ac modus sanitatem præsentem conservandi, amissamq; restituendi explicandus est, & partes illæ primæ ac propriæ medicinæ υγεινή & θεραπευτική tradendæ. Agendum itaq; post σημειωτικήν, qua ratione præsens sanitas conservari possit, dicendumq; de alimentorum natura & facultatibus, ac methodus tradenda est, qua ratione per propria instrumenta sanitas conservari possit: quibus υγεινή absolvitur, quæ docet, qua ratione rebus ad movendis, educendis, agendis, & extrinsecus incidentibus sanitas conservari, & homo, ne in morbos incidat, præservari possit. Ut ita hujus partis internus finis sit præservatoriæ & vitalis indicationis inventio: Externus verò præsentis sanitatis conservatio, tum labentis perfectio.

Ultimo deniq; loco de remediis, eorum natura, facultatibus, materia & compositione agendum, & methodus amissam sanitatem recuperandi explicanda: quibus pars

θεραπευτική absolvitur. Cujus partis internus finis est Indicationum

curatoriæ inventio: Externus vero sanitatis amissæ restitutio.

Atq; hæ genuinæ & principes partes Medicinæ sunt. Nam si quæ aliæ partes recensentur, ut φαρμακευτική, χειρουργική, διαίτητική & similes: illæ principales partes non sunt, sed minores, quæ sub hisce principibus, & majoribus comprehenduntur, ut suo loco dicetur.

CAPUT. III.

De Sanitate.

HAs partes ut jam ordine, quantum quidem compendii atq; instituti ratio patitur, tractemus: à Physiologia incipiendum est: & primò quidem subjecti, quod est corpus humanum, explicatio præmittenda esset. Verum cum hac de re in omnium manibus sint & veterum & recentiorum libri plurimi, locupletissimi, & plenissimi, ex quibus corporis humani cognitio hauriri potest: de corpore humano, quæ aliis prolixior est, & compendii rationem excedere cogeret, tractationem prætermittimus, atq; ad libros Anatomicos, in primis verò αὐτοψίας studiosos Medicinæ remittimus, & rectè ad Finis Medicinæ, qui est sanitas, tractationem accedimus.

Sanitatis verò Naturam investigaturi hinc sumamus initium, & hanc ὁμολογούμενην ἀρχὴν, & quod apud omnes in confesso est principium primo loco, cum Galeno, de different. morb. cap. 2. & meth. med. c. 5. pona-